



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 66. Ferdinandus Neapolim ingressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)

legit, ipsusque Ducus partes agens, per Sæcul. XV.  
illam erupit portam, quæ hosti in terram A.C. 1495.  
exscendi propior erat, tamque incon-  
sulta vincendi fiducia in Ferdinandi co-  
pias irruit, perinde ac si de victoria pri-  
mo impetu reportanda certus esset.  
Verum vix prælium auspicatur, cum jam  
omnes urbis campanæ insonant, motæ se-  
ditionis inditia, moxque conjurati civi-  
bus sibi conciliatis, celebriores urbis re-  
giones obsident, portas occupant, tam-  
que ingentem excitant tumultum, ut  
Mompenserius sedandæ tempestati præ-  
sentiam suam maxime necessariam fore  
ratus, e prælio elaberetur, & confestim  
ad urbis portam advolaret, quam tamen  
non modo occlusam invenit, sed etiam  
strenue defensam a Viris, aut vincere  
aut mori paratis, qui in eum densam glo-  
borum, ac flammæ tempestatem effunde-  
bant, eumque ad castrum novum per  
longas, easque difficillimas viarum am-  
bages fugere compellebant.

### §. LXVI.

#### *Ferdinandus Neapolin ingressus.*

Hæc dum in urbe gerebantur, Ferdi-  
nandus opportunum nactus est tem-  
poris spacium, ut Neapolin ingrederetur,  
& copias suas civibus magis ad audendum  
projectis augeret, atque ipsas quoque  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXI.* G pla-



Sæcul. XV. platearum, quæ ad arces ducebant, fau-  
A. C. 1495. ces excubiis muniret, eo consilio, ut ca-  
strenses fossores, qui valla, aggeresque  
erigebant, tueretur. Mompensiarius co-  
gnito Ferdinandi adventu, comitante  
eum Ivone Alegrio, cum suis copiis ar-  
cem egressus, per spatiostam plateam in  
urbem penetrat, hostem e vallo detur-  
bat, & viarum aditus oppositis dolis ob-  
structos perfringit; ast ubi cum agmine  
suo plateas occuparet, Ferdinandi milites  
dextrorum, ac sinistrorum domos invo-  
lant, fenestras, & testa obsident, inde-  
que emissa in Gallos globorum grandine  
quam plurimos tanta strage conficiunt,  
ut Mompensiarius ad castrum novum re-  
verti, ac sese intra mænia recipere com-  
pelleretur. Ivo quidem altera ex parte  
ad medium Neapolitanæ urbis procurrit,  
ast præter Ecclesiæ S. Crucis, & S. A-  
gathæ, necnon S. Laurentii monaste-  
rium non nisi duas arces Gallorum pote-  
stati subjectas servare poterat.

## §. LXVII.

*Mompensiarius in arce obseffus, & ad  
deditioñem compulsus.*

Mompensiarius in castro novo inclusus,  
nil reliquum habebat, quam ut si-  
gna inferentibus resisteret; tam arce e-  
nim a Ferdinandi, Venetorum & Hispa-  
norum